



DISSERTATIO INAUGURALIS PHYSICO - MEDICA
DE
SALIUM MEDIORUM EX-
CELLENTE ET PURGANTE VIR-
TUTE.

PROOEMIUM.



IN sole & sale omne il-
lud, quod sapientes quærunt,
reperiri, ab omni jam inde
antiquitate inter philosophos
celebrata parcœmia est, ita
prorsus, ut qui alchymisticae
arti apprime favent, hoc dictum sibi quam ma-
xime applicent, atque ad suum præfixum sco-
pum transferant. Nos, relictis hisce inanibus &
supra captum nostrum positis opinionibus, potius
hoc vetustissimum sapientum edictum, simplicis-

A 2

sime

sime tantummodo intellectum, ad usum physico-
medicum perquam commode traduci posse exi-
stimamus. Ecquis enim solis, qui jure merito-
que rerum conditarum princeps ac rex, atque
universi systematici mundi primum mobile ap-
pellari potest, immensam ac pene divinam in
immutandis, generandis ac perficiendis rebus
corporeis virtutem digne satis æstimare ac præ-
dicare poterit? Hujus calor genuinum chymia na-
turalis instrumentum est, cujus beneficio res ger-
minant & fecundantur, cujus ope quasi ex nihilo
producuntur, & sapida insipida, fixa volatilia,
inodora odora redduntur, atque etiam ex succis
aqueis bituminosa & inflammabilia generantur.
Præterea illud immensæ magnitudinis ac pene stu-
pendæ & miraculosæ virtutis corpus solare præci-
pua causa atq; origo est tantarum mutationū, quæ
hoc in universo subinde contingunt. Prout enim
calorem, lucem, motum & vigorem non modo
elementis & alimentis, sed etiam vegetantium
& animantium corporibus fœnerat; ita etiam
fecunda & salubria, vel etiam insalubria tempo-
ra proveniunt. Nam quod certis locis & clima-
tibus propriæ sint ægritudines, quod singula an-
ni tempora diversæque tempestatum constitutio-
nes

nes suos peculiare alant morbos, qui populariter grassentur, id maxima ex parte solis operationi acceptum referendum est. Is enim est summus tempestatum, caloris, frigoris, pluviarum ac nebularum moderator, hic intestino suo motu variaque mixtione diversas & subinde alienæ indolis salinas sulphureas progignit particulas, magnorum & undique sævientium morborum frequentissimas procreatrices. Enimvero præter mirabiles solis in sublunaria effectus & operationes in universa rerum natura, quod tam penetrante agilitate, tamque insigni corpora immutandi varietate miscendi potentia instructum sit, præter salinum principium fere nihil invenias. Neque enim vel in natura vel in arte ulla occurrit operatio, quæ absque salium concursu perficiatur. Præcipuum illud, quo unum corpus in alterum agit, salini generis principium est, neque animantium vita, functionumque in iis integritas, & corporis humani conservatio sine salibus persistere aut præstari possunt. Deinde quemadmodum salia diversi generis sunt præcipuum generationis morborum fundamentum: ita etiam, quæ a remediis expectanda venit salus, potissimum salibus debetur. Atque ut

mentem nostram paulo pressius & liquidius explicemus, profecto ex omnibus medicamentorum generibus, varia etiam arte conquisitis, nulla dantur usui medico, in morbis tam avertendis, quam tollendis, singulariter accommodata, quæ cum salibus comparari possint. Tametsi vero plura diversissima salium, quæ vel natura sponte profert, vel quæ arte eliciuntur, sint genera, quæ usui medico apta atque idonea deprehendimus, cum non modo fixa & volatilia, acida & alcalina, vel ex hisce media, sed & acria corrosiva, oleosa, amara, dulcia & austera dentur, quæ omnia & singula aliis atque aliis modis salutis ægrotantium interservire possunt: attamen ex hisce omnibus nulla esse putamus, a quibus major virtus, salus & tutior medendi ratio, quam ab iis, quæ mediæ indolis sunt & neutra vocantur, peti & expectari possint, adeo, ut omnis fere, quæ a medicamentis desideratur, virtus, etiam cathartica, in iis resideat. Atque id maxime est, quod præsentis specimine ac labore, cui divinum Numen gratiam suam adspiret, ductu Excellentissimi Domini Præsidis, paulo altius perquirendum demonstrandumque suscepimus.

§. I.

565-
QUum nobis propositum sit, ingentem illam salium mediorum in tota remediorum silva præ aliis prærogativam atque eximiam in medendo efficaciam paulo penitius & accuratius demonstrare, visum nobis est, primo omnium, quid per salia media intellectum velimus, paulo clarius explanare. Salia igitur media, sive neutra, nobis vocantur ea, quæ ex sale alcali aut terra alcalina & acido sunt composita, ita ut nullum ex hisce habeat prædominium. Quid per acidum & alcali intelligatur, res jam valde obvia & tritissima est, & quemadmodum hæc ipsa admodum excessivo sapore & virtute sunt prædita, adeo, ut utrumque ad corrodentem naturam sæpe accedat, ita proportionem convenienti invicem mixta per mutuam allisionem & conflictum ita attemperantur, ut tum ratione saporis, tum aliarum facultatum & virium medium, innoxium etiam & naturæ amicum sal inde emergat. Deinde salia perfecte media dicuntur ea, quæ nec ad acidum, nec alcalini liquoris cujuscunque miscelam amplius effervescent, sed quæ perfecte saturata sunt. Quo nomine & virtute maxime eminent inter salia nativa sal commune & nitrum, item aphronitrum, & quæ ex quibusdam aquis medicatis & acidulis collisione eliciuntur; ex arte paratis arcanum duplicatum, nitrum antimoniatum, sal Glauberianum, tartarus vitriolatus: quæ singula nec a quovis affuso acido, nec alcalino liquore ebulliunt, nisi acidum valde forte & penetrans fuerit, quemadmodum oleum vitrioli, quod sali communi vel etiam nitro adjectum

jectum non modo ingentem ebullitionem, sed & copiosum ac subtilissimum ex sale communi album, ex nigro rubicundum vaporem suscitatur; quale tamen a leviori acido, ut est spiritus salis, vitrioli, acetum, succus citri, vix unquam facile evenit.

§. II.

Hisce jam suppositis, nec ex vegetabilium regno tartarum, neque ex mineralium profapia alumen vel vitriolum, commodum inter media salia tueri posse locum, quisque facile intelliget; quandoquidem unum eorum quovis affuso alcalino liquore, sive mitioris, sive valentioris generis sit, protinus vehementer commovetur, inque bullulas attollitur, non levi indicio, acidum salem in iis prædominari, neque hoc ipsum intime cum alcali metallico vel terreo esse unitum. Nam ea indoles ac proprietas salium mediorum esse debet, ut arctissime unita neque ab acido, neque alcali affuso facile præcipitentur, quare nec sal lunæ, nec saturni dulce in numerum stricte & proprie sic dictorum salium mediorum jure referre licet. Ubi tamen non possumus non monere, quandam etiam differentiam inter ipsa salia media non inconvenienter ponendam esse, quum alia arctiorem & alcalini & acidi principii, alii paulo laxiorem horum nexum & unionem habeant. Inter ea, quæ arctiorem copulam ineunt, sunt imprimis, quæ valde difficili negotio destrui possunt, ut sunt omnia salia, quæ cum alcalino principio & acido vitrioli parata sunt, ut sunt salia fontium mineralium media, arcanum duplicatum, tartarus vitriolatus, & sal ex calce viva & acido vitrioli vel salis paratum, & ipsum quoque

que sal commune & nitrum. Adea vero, quæ sunt la-
xioris & minus coherentis contextus, salia ex acido le-
niori & terra alcalina composita pertinent, quo in nume-
ro sunt sal coralliorum, lapidum cancrorum, tartarus tar-
tarisatus, terra foliata tartari, ex quibus per fortius aci-
dum quam facile corpus solutum rursus dejici potest.

§. III.

Quum vero nostri consilii ratio eo maxime ten-
dat, ut, quod salia, quæ sunt temperatæ & mediæ naturæ,
sint omnium saluberrima & ad medendum, nec non ad
præservandum tutissima & valde efficacia remedia, pau-
lo clarius demonstrare velimus, opus est, ut argumen-
tis, quæ id evidentissime evincant, sententiam nostram
corroboremus. Primum vero est, quod in omnium
animantium succis secundum naturam, sive quum in
statu integro constituta sunt, nec acidum, nec alcali-
purum, sive fixum, sive volatile, sed tantum mediæ na-
turæ salia reperiantur. Ita neque in sanguine aut lym-
pha unquam offendere licet acidum, quia tale, quod ta-
men paradoxon superiori tempore a nonnullis parum
chymicæ artis gnaris fuit assertum. Neque etiam in
statu morbofo seu præternaturali acidum purum depre-
hendere licet, nullo artificio eruendum; ut adeo pate-
at, quam sterilis non modo, sed & in praxi eorum hy-
pothesis noxia fuerit, qui acidum omnium fere morbo-
rum causam valde audacter statuebant, & ob id omnia
acida e foro medico releganda, omnesque remediorum
vires eo referendas esse, ut vel acidum vel viscidum de-
struant, acriter ante aliquot lustra contendebant, quibus
etiam jam Dissertationem *de acidi & viscidum insufficien-*

tia mascule Excell. Dn. Præses opposuit, atque tunc festam, per universam fere Bataviam regnantem, solide prostravit. Equidem non negare fas est, partim ex alimentis & assumtis, præsertim si diutius in primis viis morerentur, acidus sæpe & crudos succos ibi nidulari, qui ceu naturæ alieni variis de causis magnas molestias procreant, & symptomatum etiam causam atque incrementum non raro suppeditant; atque ea remedia, quæ acidum infringunt ac temperant, præsentissimam opem ferre. Minime tamen inde sequitur, acidus hos succos integros, immutatos & salva sua textura in sanguine vel aliis humoribus, qui per vasa in orbem feruntur, contineri, vel mixtionem ingredi animalem; sed potius ceu peregrina & morbosa prima in regione habenda sunt, præsertim si ibi per digestionem & mixtionem aliorum liquorum non contemperata fuerint. Nam licet acidum temperatius bene ferre possit ventriculus, dum blando stimulo & appetentiam excitat, & dissolutionem quoque alimentorum promovet; præter ventriculum tamen purum acidum corpori animantium valde est hostile, partibusque ejus fluidis & solidis quam maxime adversatur. Illis enim vitæ & motui progressivo penitus inimicam spissitudinem infestumque coagulum inducit, partes autem solidas, præsertim fibrosas & nerveas, stimulo, arrodendo vel etiam constringendo mirifice lædit. Quamobrem a benignissima natura bene provisum est, ut illis in ventriculo solutis atque ex eo expulsis protinus succus affundatur, qui blanda sulphurea & ad alcalinam indolem accedente natura peregrinum acidum in eis contentum attemperet, & venis to-
tique

tique naturæ amicum reddat. Cui etiam scopo lymphatici ex pancreate & aliis glandulis affluentes succi multum velificantur. Neque sal alcali purum, sive fixum sive volatile, in animantium succis, præsertim in statu naturali, occurrit. Bilis utilissimus humor, quem naturalem seu à natura constitutam omnium animantium medicinam præstantissimam æstimamus, ad indolem quidem alcalinam tam prope accedit, ut effectum acidum infringendi habeat communem; sed tamen purum alcali haberi non poterit, quod nullo cum acido effervescat, nisi intensissimum sit, ubi etiam ista ebullitio non principio alcalino, sed potius sulphureo oleoso adscribi debet, quoniam olea tam expressa, quam destillata, cum spiritu fortiori, ut oleum vitrioli vel spiritus noster fumans est, intensam eamque calidam effervescentiam concitare observamus.

§. IV.

Neque alcali fixum vel volatile sine ignis & combustionis adminiculo ullo modo in sanguine, lacte, chylo, lymphæ, imo nec in excrementis, sudore, urina, secundum statum naturalem comparatis, ostendere licet. At vero si ex succis alcali volatile exspirat, vel in excrementis etiam, sive in bile sive in urina, manifestior alcalina qualitas observatur, tunc certe id indicium corruptionis est, vel putredinis præsentiam manifestat. Sed potius in statu sano salia excrementitia mediæ esse naturæ, ex acido nempe & alcali fixo vel volatili composita, ex sapore salso urinæ animadvertimus. Sal vero illud medium maxime inclinatur ad naturam ammoniacalem propter compositionem salis volatilis alcalini uri-

nosi cum acido. Nam si urinæ inspissatæ calx viva vel sal quoddam alcali immisceatur, mox prodit odor salis volatilis. Atque etiam quod in urina continetur sal, tartareæ est naturæ, ex acido & terrestri oleoso principio compositum, quod apparet partim ex inspissatione, partim etiam ex tartaro illo, qui in hypochondriacis & scorbuticis parietibus vasis urinarii adhærescit, vel ad fundum fertur.

§. V.

Salubrem vero & naturæ humanæ convenienter salium mediorum indolem ac virtutem vel inde maxime apparere arbitror, quod hæc ipsa ne ullam quidem animantium succis, cujuscunque etiam generis sint, mutationem vel turbationem inferant, quemadmodum id prompte fieri conspiciamus ab aliis salibus acidis vel alcalinis, siue fixa siue volatilia fuerint. Sanguini enim e vena emissio si quando acidus liquor, ut spiritus salis vel vitrioli, aut solutio salis, quod excessive acidum, ut aluminis vel vitrioli infunditur, mox color & consistentia perit, dum color purpureus in lividum & luridum protinus permutatur, & sanguis fluidus tenuis coagulatur, quod etiam fieri consuevit, si hæc ipsa cum lymphæ, sero, chylo, lacte, vel ovorum albumine confunduntur. Neque ignota sunt illa experimenta, quæ olim, ad demonstrandam sanguinis transfusionem, varia liquida in venas animantium siphone injiciendo, adornata fuerunt, ubi a liquoribus acidis injectis non ita multo post mortem sequutam esse observatum fuit, sanguine in vasis majoribus coagulato reperto. Quando vero sanguini recentem e venis educto alcalinus liquor,

v. g.

567
v. g. oleum tartari per deliquium, vel spiritus salis ammoniaci bene saturatus admiscetur, non minorem etiam mutationem animadvertimus, dum color purpureus inde intenditur, & valde coccineus fit, ac major fluiditas sanguini conciliatur. Simili modo hæc ipsa alcalina addita lacti, sero, albumini ovi, ea reddunt fluidiora. Quamvis vero coloris intensio & tenuitas, quam alcalini liquores sanguini conciliant, vitali ejus progressivo inque circulum per tot vasculorum myriades abeunti motui non adeo adversa videatur; tamen purum alcali paulo largiori dosi vitalem sanguinis & humorum crasin atque temperiem mixtionemque invertere, vel ex eo liquido constat, quod ab injectione alcalini liquoris in venas animantium lethales convulsiones fuerint sequutæ, quod minime evenit a salibus, quæ mediæ sunt naturæ. Horum enim indoles ita est comparata, ut ne minimam quidem alterationem in sanguinis & fluorum vitalium texturam & mixtorem inferant. Nam sive solutio salis communis & salis ammoniaci, sive arcani duplicati, terræ foliatæ tartari, aut nitri antimoniatæ, fluido sanguini vel lacti admixta fuerit, ne ullam quidem mutationem inde in hisce sequi deprehendimus. Nitrum, quod etiam sal mediæ naturæ est, mixturæ sanguinis ejusque motibus vitalibus plane non esse adversum, testatur inter alia experimentum *Malpighii libr. de Polypo cordis*, dum ab infuso cani robusto per venam jugularem nitro ad drachmas sex nulla observata fuit mutatio, præter urinæ copiam majorem inde provenientem.

§. VI.

Ex omnibus vero mediis salibus vix ullum revera

B 3

est,

est, quod natura corporis humani melius & sine ulla offensa ferre possit, & quod maiorem præstet utilitatem, quam sal sic dictum commune, sive ex mari, sive ex fontibus, sive et terra fuerit eductum. Hoc certe nec homo, nec pleraque animantia inter alimenta carere possunt, eo quod non modo ad saporem ciborum faciat, sed & quod ad meliorem alimentorum digestionem sive intimam resolutionem plurimum conferat. Nec vero sal commune in mixtionem humorum vitalium admittitur, sed omne rursus foras per emunctoria propelli debet, quum in corpore relictum subtilium fibrarum texturæ valde adversum sit, & vellicatione & arrosione earum multas procreet molestias. Nihilominus inter alimenta in corpus admissum maximas, præter jam dictas, præstat utilitates. Fibras enim motrices & canales excretorios, ex iis compositos, blande stimulando efficit, ut non modo sanguinis & humorum celerior fiat progressio, cuius beneficio optime partes crassiores atteruntur, trituantur & cum fluidis melius permiscuntur, sed & saluberrimæ secretiones & vitæ perquam necessaria rerum alienarum excretiones, quarum ope ipsum simul e corpore expellitur, felicius succedant.

§. VII.

Salibus mediis iisque valde salubribus & naturæ humanæ amicis jure etiam annumerari posse saccharum censemus, quod convenienter usurpatum non ita sanitatem offendit, ut vulgo accusatur, licet non in omnibus morbis vel omni tempore singulis hominibus conveniat. Id ipsum tamen in paulo excessiva quantitate a quibusdam quotidie sumtum eos plane non offendere, ut

568
ut potius salvi & incolumes degant, multiplici experientia edocti sumus. Siquidem saccharum etiam est sal dulce & blandum, mixturæ humorum plane non adversum, & quod acidos biliosos humores temperat, & lubricando primas vias blandeque fibras intestinales stimulo alvum liquidiorum & mobiliorem reddit. Præterea aliud adhuc beneficium a saccharo cum cibis sumto peti potest. Nimirum omne oleum & pingue corpus unionem & copulam cum aqua prorsus respuere perquam notum est. Hæc autem adjecto saccharo optime perficitur, sequente id luculenter docente experimento: Oleum cinnamomi plane non miscetur cum aqua, sed fundum petit; si vero aliquot ejus guttulæ prius misceantur cum saccharo, idque postea aquæ immittatur, statim, facta prius agitatione, intimam olei cum aqua conjunctionem percipimus, ita ut hac ratione extemporanea cinnamomi aqua præparari possit. Quum itaque homo multa sæpe pinguedine vescatur, quæ ægerrimæ dissolutionis & mixtionis cum aqua in lacteum succum difficulter transit, quin beneficio sacchari & dulcium id fieri possit, nihil dubii superest, quum videamus, & anseres & capones saccharo, eorum eduliis admixto, pinguefaciendi modum dari non meliorem. Huc etiam illud experimentum pertinere existimo, ubi addito cremori lactis saccharo impeditur, quo minus butyracea pars ab eo faciat secessionem.

§. VIII.

Quemadmodum vero inter alimenta ad integram servandam valetudinem salia mediæ naturæ principem locum tenent: ita profecto in medicamentorum classe

vir.

virtute sua incomparabili in curandis morbis omnia reliqua remediorum genera longissime exsuperant. Et cum instituti nostri ratio hæc sit præcipua, ut hoc assertum paulo clarius & explicatius demonstremus, placet primo omnium salia, quæ mediam præ se ferunt naturam, paulo exquisitius inter se distinguere, in duplicem classem ea dispescendo, quoniam alia naturæ, alia artis producta esse comperimus. Inter ea igitur, quæ natura sponte profert, præter sal commune, referimus maxime salia sic dicta essentialia, quæ ex plantarum plurimarum succis debita encheiresi eliciuntur, quorum præcipua ad tartariformem, quæ ex acido & alcalina terra intermixtis partibus sulphureis composita est, naturam & mixtionem accedunt. Ab hoc naturali plantarum blando & medio sale qui earum eximias illas dotes & virtutes, quas in medendo possident, derivat, is certe a vero mihi non declinare videtur. Ea enim vegetabilia, quæ convenienti præparatione copiosum ejusmodi sal elargiuntur, aliis virtute præcellere experientia docemur. Horum classem ducunt ex herbarum species, quæ vulneribus sanandis & sanguini depurando dicatæ sunt, in quarum numero eminent veronica, scordium, carduus benedictus, urtica mortua, millefolium, tussilago, plantago, hederæ terrestris, borrago, buglossa, centaurium minus, fumaria, pyrola, bellis, flores chamomillæ, absinthium, anagallis, branca ursina, nasturtium aquaticum, chamædryas, alchimilla, consolida media, scolopendrium, flores chamomillæ vulgaris, scabiola, quarum succi, decocta, infusa in gravissimis morbis chronicis, qui ex obstructione & infarctu viscerum aut

eo-

eorum corruptione atque emunctoriorum & tubulorum excretoriorum oppilatione pronascuntur, eximiam certe & pene mirabilem virtutem exerunt, quæ vero unice tali illi essentiali, partim tartariformi, partim nitroso, accepta ferenda est. Hinc fit, ut ob copiam hujus salis eorum extracta non facile sicca sine deliquio asseruari in aëre possint, quemadmodum id quoque in sale essentiali, siue terra foliata tartari, item ex eo, quod ex vini Rhenani acido & oleo tartari mixtis post debitam inspissationem fit, animadvertimus. Atque etiam ob copiosum dictæ plantæ sal, quo foete sunt, tartariforme per combustionem insignem salis alcalini fixi quantitatem elargiuntur. Nam sicut tartarus vini vel etiam nitrum combustionem in sal alcali fixum demigrat; ita salis alcalini ortum, quod comburendo ex plantis elicimus, a sale hoc medio tartareo ducendum esse judicamus.

§. IX.

Inter salia neutra eaque saluberrima, quæ sine commixtione acidi & alcali sponte in ipsa natura proveniunt, jure etiam referri nitrum debet, quod terræ sulphuræ, pingues, alcalinæ, animantium stercorea & excrementa, item vegetabilia & animalia in putrefactione posita, neque minus cineres, calx viva, & terræ putridæ, soli & pluviis diu expositæ, ex acido universali aëris, quasi imbibendo & attrahendo, progignunt, cujus virtute in medendo pene divina non facile peritus medicus carere poterit. Est enim hoc sal naturæ animantium ita amicum, ut nullas, nisi nimium usurpetur, non modo creet molestias, sed & ad graves avertendas ægritudines,

C

quæ

quæ ab exsuperante bile sanguinisque & humorum vehementiori ebullitione eorumque nimio æstu proveniunt, nihil datur præsentius; ita ut *Verulamius in Historia vite & mortis* huic sali virtutem vitam prorogandi, si sæpius ad scrupulum pro dosi detur, non dubitaverit assignare: sique ullum remedium medicinæ universalis titulum meretur, & aquæ communi & nitro eum tribui posse non sine ratione judico. Nam si alvus solvenda, si urina movenda, si transpiratio in nimio æstu, dolore & spasmus liberior efficienda est, certe id optime per nitrum fieri posse experientia confirmat. Si causticam & virulentam humorum biliosorum acrimoniam, quæ cholera, diarrhœa, dysenteria, immodicæ vomitionis & nausæ, ac febrium biliosarum, ardentium etiam, & gravissimæ ventriculi & intestinorum inflammationis procreatrix est, temperare ac demulcere velimus, nihil certe in tota rerum natura nitro præsentius & efficaciusprehendimus. Si inflammatio partes internas infestat, adeo, ut incendio quasi eæ torreantur, eoque substantificum humidum cum viribus absumatur, atque inexhausta sitis fiat assiduaque vigilia, nitrum inter medicinas admissum præcipuum certe curationis punctum fert. Nam inter vera & tuta refrigerantia, febrili & inflammatorio æstui dicata, in natura nitro haud simile reperimus. Si humorum crassities, quæ obstructionibus vasorum & concretionibus polyposis mire velificatur, dissolvenda est, in nitro certe ejusmodi vis residet exoptatissima. Nequaquam enim nitro vis coagulandi humores inest, quod nonnulli alioquin etiam periti contra manifestam oculorum fidem contendunt; quum ad oculum pateat, solu-

solutionem nitri depurati cum aqua factam, sanguini coagulato & obscure nigricanti immixtam, eum & liquidiorum & coloratiorum reddere, dum obscuro nigrum in pulchre miniatum & coccineum colorem convertit. Et quia serum & lympham liquandi virtute gaudet peculiariter, exsiccatas partes humectat, duras & constrictas emollit, ac tenaces humores fundendo obstructa referat. Præterea ea quoque est nitri efficacia, ut concretiones salinas tartareas in renibus, vesica, & aliis locis impediatur. Et quamvis ipsius experientiae suffragium hanc veritatem satis luculenter confirmet; placet nobis tamen, ut res fiat apertior, quasdam auctoritates in medium hoc loco adducere. Ita *Penotus de Medicamentis chymicis*, pag. 57. calculosis & qui dysuriam passi sunt, si sint adulti, si infantes, si robustiores, si languidiores, mirifice ejus utilitatem commendat, adeo, ut singulis quatuordecim diebus si sumatur, nunquam arenam in renibus nasci posse polliceatur. *Timæus in consil. consult. 3.* audit Batavii à Prævotio nephriticum quendam diurni nitri præparati usu a calculo perfecte fuisse curatum. Et *Grülingius in observat. de Calculo p. 120.* scribit: *satis notum est omnibus, sal prunelle egregium esse auxilium pro præservatione & curatione nephritidis.*

§. X.

Quam gravia eaque spastica & flatulenta sanguinis in vasis ventriculi & intestinorum stagnatio concitet pathemata, quæ miras in universo corpore creant molestias, id illi potissimum, qui sic dicto malo hypochondriorum vel hysterico laborant, satis luculenter planum ac testatum faciunt. Ego vero, ingenue fateor, in tan-

ta remediorum silva nullum nitro par reperio, quod tam potenter spasmos solvat, flatu discutiat, dolorumque sævitiam mitiget. Hinc ejus usus in colica spasmodica seu convulsiva non satis digne prædicari potest. Si ab atroci dolore & spasmo transpiratio, vel sudor, vel urinæ fluxus præcluditur, si alvus dura & stricta manet, sanguinisque salutes illæ & consuetæ per hæmorrhoides, per uterum, etiam in puerperis, excretiones deficiunt, nitrum decenter exhibitum spasmos & dolores sedat, & hac ratione liberiori facto per tubulos itinere, saluberrimos hos fluxus restituit. Quum vero ex iisdem vasorum & viscerum spasticis stricturis validioribus, liberiori sanguinis cursu impedito, tanto major humorum motus & impetus ad alias easque remotas partes subinde contingat, hinc vasa a nimia congestione distenta referantur, & immodicæ sanguinis fiunt profusiones, unde hæmoptylis, nimius narium, mensium vel hæmorrhoidum fluxus, aut mictio cruenta suam ducunt originem. Si tale quid incidit, summum in nitrosis medicamentis est auxilium, quæ spasmos removendo, non adstringendo, dum liberiores cursum sanguini restituant, profluvia illa immoderata & enormia sistunt. Ego certe ex omnibus superioris seculi medicis non invenio ullum, qui frequentiori in usu nitrum habuerit ipso *Riverio*, qui eo cum singulari fructu ad compescendas hæmorrhagias adhibuit, quemadmodum ejus monumenta practica cum observationibus testantur. Ita in lochiis immodice fluentibus, *centur. 1. obs. 96.* item in exsuperante mensium fluxu, *cent. 1. obs. 94.* in hæmoptyli, *cent. 1. obs. 83.* in hæmorrhagiis cum

571
cum febre maligna, *cent. 2. obs. 18.* nitri usum mirifice extollit. Post *Riverium Mynsichtus* nitri usum medicum maximi semper fecit, testantibus id in ejus Armamentario chymico variis & eximiis compositionibus, in quibus nitrum basin constituit.

§. XI.

Dicendum etiam aliquid est de aphronitro, quod veteribus & maxime *Plinio* non fuit incognitum. Hoc in speluncis faxeis ex alto destillat, concrefcit, & partus identidem est salis universalis, quod aer secum vehit, acidi & gypseo-calcaræ terræ. Sal est paululum acris & amaricantis saporis, sed fixum, ac vim ignis sustinet, utpote quum nec fluat in eo, nec flammam concipiat, nec avolet. Hujus salis largiorem copiam non modo spelunca, quæ a diabolo nomen habet, circa Jenæ oppidum, suppeditat, sed in locis etiam subterraneis, cuniculis præsertim e saxo confectis, in magna sæpe abundantia colligitur. Hoc sal incidentem, diureticam & majori dosi cathartican virtutem possidere, sali Epslomensi similem, experimentis practicis compertum habemus. Sequitur jam ex nativis sal commune, cujus usus sicut inter alimenta est saluberrimus, ita etiam ex medicamentorum classe non penitus rejiciendus est. Quanta sit ejus virtus in tardiori movenda alvo & fecibus exonerandis, si clysteribus adjiciatur, ubi ejus una drachma plus valet, quam uncia alicujus laxantis, res vulgo etiam nota est. Interne quoque paulo liberalius assumptum inter cibos alvum expedit; quo nomine maxime haleces comesti laudem merentur. Verum hoc ipsum sal commune quorundam fontium mineralium medicato-

rum, cathartica virtute celebrium, non raro præcipuum ingrediens esse, nos satis cognitum atque exploratum habemus. Ante triginta & aliquot annos Hornhusæ in Principatu Halberstadiensis fontes soterii è terræ sinu prædibant, ad quos incredibilis ægrotantium erat confluxus. Hi fontes, quibus Excellentissimus Dn. Præses tanquam physicus ordinarius præerat, examine instituto, nihil aliud continebant, quam sal commune & aliud falsum instar arcani duplicati, quorum illud in crySTALLIFICATIONE figuram cubicam, hoc sexangularem retinebat: salis vero communis pondus longe alterum superabat. Hi fontes ad tres vel quatuor libras poti clementer alvum solvendo multas efficiebant sedes; insuper prostratam excitabant appetentiam, & crassos viscidosque humores incidendo ventriculi digestionem egregie inserviebant, corpus alacre & agile reddendo. Habebant præterea peculiarem virtutem anthelminticam, dum omnis generis lumbricos, inque primis ascarides, magna in copia cum fecibus ejiciebant. Externe discutiebant tumores & scabiem & antiqua ulcera sanabant. Atque etiam ante viginti & aliquot annos in pago Rasburg, non procul a civitate Stasfurth, fontes oriebantur, qui poti fortiter sedes movebant, & eandem fere virtutem cum Hornhusanis possidebant. Facto examine Exc. Dn. Præses nihil aliud potuit arte elicere, quam purum sal commune, qualis Stasfurthi ingens copia excoquitur. Nam ex veteribus monumentis constabat, ante aliquot secula ibi salinas & salis cocturam floruisse.

572

§. XII.

Sed missis hisce fontibus, qui non adeo diu durant, ad eos, qui per multa secula ob saluberrimum usum celebres fuerunt, & à sale potissimum communi suam efficaciam mutuuntur, nos convertimus. Hujus generis sunt antiquissimi illi fontes, quorum jamdum *Tacitus* mentionem fecit, Wisbadenses, quorum usus antea omni tempore externus jam ab aliquot annis fieri coepit internus, quem non satis laudare possunt ii, qui viscum infarctum, depravata digestionem, & malo flatulento alvoque tardiori laborant; ad uteri quoque vitia, quæ subinde abortum & puerperium excipere solent, corrigenda non sine eximio fructu usurpantur. Exc. Dn. Præses cum cura eorum chymicum instituit examen, nihilque aliud reperire potuit, quam præter aquas pondere valde leves ac subtiles verum sal commune, cum quodam sale alcalino mixtum, quod non modo sapore & crystallis cubicis se manifestabat, sed & ab oleo vitrioli acido admixto copiosissimum fumum valde penetrantis odoris, qualis è sale ammoniaco ordinario exire solet, emittebat.

§. XIII.

Ad salia medii generis nativa eaque saluberrima pertinent etiam ea, quæ ordinario in omnibus thermis & acidulis Germaniæ continentur, & à quibus etiam celebratissimi hi fontes virtutem potissimam nanciscuntur. Hoc loco communem veterum errorem præterire non possumus, quidē medicatis fontibus quædam prodiderunt. Hi plane aliena & nunquam ibi obvia ex variis terris mineralibus & metallis ingredientia, à
qui-

quibus eorum virtus deducenda sit, proponunt, ne quidem ulla eorum, quæ se vera secum habent, elementorum facta mentione. Veruntamen illud adhuc magis mirum est, quod communis nostro etiamnum tempore medicorum sententia fuerit, imo adhuc apud plurimos, vigeat, acidulas vitriolico sale esse turgidas, atque emittens acidum custodire, quum tamen plane ipsis contrarium sal insit, nempe alcali, quod vel ex eo patet, dum cum omni acido effervescent, & medium sal suppeditant; imo plures post evaporationem sal purissimum relinquunt, & quod maximum est, lac affusum fluidius reddunt, tantum abest, ut ullum coagulum ipsi inferant. Et ut ut plerique fontes minerales inter thermas & acidulas saporis quodammodo vitriolici sint, minime tamen eorum virtus & in medendo efficacia à vitriolico sale dependet; nam paulisper saltem calefacti protinus amittunt hunc saporem & virtutem tingendi cum gallis colore obscure purpureo, manifesto indicio, & pauxillum & volatile illud esse martiale, vel vitriolicum, quod in se habent reconditum. Sed præcipua, quibus & thermæ & acidulæ præstantissimos in medendo edunt effectus, elementa & ingredientia sunt præter spirituosum illud aëreo-æthereum penetrans subtile principium, quod bullularum salientium causa est, salia, sive alcalina fixa sive media, ad naturam Salis Glauberiani vel tartari vitriolati proxime accedentia, quibus eximia horum vis, qua humores crassos incidunt, resolvunt, obstructions reserant, acidum primarum viarum invertunt, & omnis generis excretiones maxime per alvum & urinam promonent, tribuenda est, quemadmodum id *Excell. Dn. Præses*

ses in Dissert. de Thermis Carolinis, de Acidularum & thermarum ratione ingredientium convenientia, de thermarum & acidularum usu & abusu, copiose luculentissimeque & medicæ artis peritis & aliis sagacioribus naturæ scrutatoribus ante oculos posuit. Ecquis igitur non clare intelligit, quam tuta & plane innoxia atque ab omni vehementi & drastica vi aliena medicatis his fontibus insint ingredientia, a quibus revera nihil prorsus periculi vel damni unquam metuendum est, ut adeo pateat, harum rerum ignaros medicos valde decipi aliosque decipere, qui ob vanum noxæ metum & vehementem operandi modum ægrotantibus, qui forte adhuc servari possent, harum saluberrimarum aquarum usum speciosis rationibus dissuadent. Videmus potius ex hisce, quanta vis & energia in persanandis chronicis non raro valde contumacibus affectibus insit salibus, tam mediis, quam alcalinis, si sufficienti aqua diluta & soluta convenienti regimine & tempore assumantur.

§. XIV.

Illud vero circa salia aquarum mineralium nativa quam maxime dignum observatione videtur, quod qui præter salem alcalinum salia mediæ naturæ eaque paulo in majori quantitate continent fontes, præ aliis, qui his destituuntur, & copioso tantum sale alcalino foetæ sunt, longe majorem catharticam virtutem exerant. Et hæc est causa, quare ex thermis totius fere Europæ nullæ inveniantur, quæ magis alvum sollicitent, ac ipsæ Carolinæ, quæ Emsenses, quæ purum sal alcali habent, id parum efficiant. Nam præter alcalinum & salinum terreum principium etiam sal neutrum habent, ex sale alcali-

D

lino

lino & acido sulphuris compositum. Siquidem ex sale illo thermarum Carolinarum, quod post evaporationem relinquitur, adjecto pulvere carbonum, per fusionem in igne sulphuris hepar, ex quo tinctura sulphuris cum spiritu vini extrahi, & ex cujus decocto cum aqua lac sulphuris præcipitari potest, obtinetur; quæ sulphuris vulgaris regeneratio ex sale hoc thermali præsentiam salis medii, & quidem ex acido vitrioli vel sulphuris oriundi, liquido demonstrat; utpote quum sine eo sulphur vulgare & inflammabile de novo componi & regenerari prorsus non possit. Accedit, quod etiam hoc sal, quod ex Carolinis coquitur, utut eminentioris sit saporis alcalini, in aëre, more salium alcalinorum, plane non deliquescat, quod ab acido minerali juncto fiat necesse est.

§. XV.

Ex acidulis universæ Germaniæ vix ullæ copiosiores dejectiones ipsis Egranis efficiunt; siquidem ad libras quinque vel sex potæ sex vel octo interdum sedes sine ulla molestia movent; quum Pyrmontanæ tantum ter vel quater ventrem solvant. Selteranæ vero, Antonianæ, Dünsteiner-Brunnen, Wildungenses, & in Vogtlandia Elsterianæ, Elstersäuerling, in Bohemia Buchenses, Buchsäuerling, in alvo movenda admodum segnes sunt, urinæ fluxum magis promoventes. Cujus diversi effectus ratio unice a præsentia salium neutrius generis in hisce fontibus petenda est. Nam ex Egranis debita coctione & inspissatione copia salis medii elicitur, quod ad unciam semis cum sufficienti aqueo vehiculo exhibitum alvinas dejectiones satis valide ciet, atque Egræ non adeo caro pretio in ingenti copia venditur.

ditur. Fontes Schwalbacenses, præter subtiliorem aquam, principium, quo nobilitati sunt, aëreum subtile & sal alcalinum, etiam sal medii generis alunt, hinc deji-
ciendi etiam gaudent facultate satis opportuna, qua aquæ
Antonianæ, Selteranæ & reliquæ destitutæ sunt, quia
coctione & inspissatione instituta non nisi purum sal al-
cali obtineri potest. Excell. Dn. Præses autem jam olim
utilissime patefecit modum, quo ex tempore hi fontes
alcalini minus purgantes virtute cathartica satis eximia
imbui possunt, ut Egranis & ratione saporis & ratione
virium respondeant, quum tantummodo spiritus vitrio-
li in debita dosi ipsis adjiciatur, qui congregiando cum
eorum sale alcali salem medium, tartaro vitriolato simi-
lem, efformat.

§. XVI.

Nec vero tantum in Germania, sed aliis etiam Eu-
ropæ regionibus, in Gallia, Anglia, fontes medicati fri-
gidi, cathartica virtute conspicui, ex quibus etiam co-
ctione sal elicitur ejusdem facultatis, reperiuntur. In-
ter quos in Anglia eminent & celebres sunt Ebshamen-
ses, qui ob sal falsum amaricans, quod fovent in sinu
suo, alvinas sordes egregie expurgant. Permotus hinc
est celeberrimi nominis medicus Anglus, *Nehemias Grew*,
ut arte & igne per coctionem salem inde neutrum saporis
amaricantis purgantem eliceret, qui etiam peculiarem
de hujus salis natura & viribus libellum conscripsit.
Hoc ipsum verum & non adulteratum, quod ubivis jam
ferme vili pretio venditur, non ita pridem Exc. Dn. Præ-
ses ex Anglia obtinuit, ac relatum fuit, libram medicam
unam vix drachmam ejus dimidiam suppeditare; fecit-

que cum eo experimentum, miscendo & fundendo cum pulvere carbonum, & massam inde sulphuream nactus est, purpuream, hepatis sulphuris exquisitè similem. De hoc genuino sale quas virtutes clarissimus Grew prædicet, commodum nobis visum est, hic breviter enarrare. De eo enim hunc in modum scribit: Hoc sal nunquam sua virtute cathartica destituitur; in morbis permultis gravioribus efficacissimum remedium præbere dicitur, nec unquam aliquid mali, si apposite præscribatur, procreat. Purgantiam fere omnium lenissimum existit, humores non exagitat, & nunquam ægritudines, deliquia & tormina excitat. Laudatur hujus salis usus in morbis ventriculi, cardialgia, immodicis vomitionibus, & calida affectione hypochondriaca. Commendatur etiam in intestinorum & imi ventris morbis, in colico & nephritico dolore, vermibus, urinæ ardore & suppressione, ictero, in passione hysterica. Præterea capitis affectibus egregie opitulatur, atque in cephalalgia, vertigine, deliriis, oculorum inflammationibus cum summo fructu porrigitur. Propinatur in aqua fontana stillantia, aliave purissima, decocto hordei, avenæ aut lactis fero: aqua etiam parum coqui & mace condiri potest, cujus libræ duæ vel tres salis cathartici semiunciam vel integram unciam pro dosi recipiunt.

§. XVII.

Verum enim vero detexit ante aliquot annos Exc. Dn. Præses, quum in Tœplicesibus thermis eas investigandi causa versaretur, ex fonte quodam Zetlicensi, qui duobus miliaribus Töplizio distat, factò accuratiori examine, sal amaricantis saporis & catharticæ virtutis,

575
tutis, per omnia Epsomenfi simile, ea tantum intercedente differentia, quod libra una medica beneficio evaporationis drachmam unam & dimidiam hujus salis dederit. Aqua, ex qua educitur, est summe amaricantis saporis, ut eum vix lingua tolerare possit, & longe amaricantior ipso sale. Hoc ad drachmas sex sumtum liberalissime purgat, & aqua ad quatuor libras medicas sumta identidem alvum large subducit. Et quum nuper ex Carolinis, procurante ipsum illustri sacræ Cæsareæ Majestatis Archiatro, medico consummatissimo, Domino Garelli, satis insignem hujus quantitatem Excell. Dn. Præses huc asportaverit, fecit etiam cum eo experimentum, eumque cum dimidia parte carbonum pulveris mixtum in ignito crucibulo fundi curavit; ita etiam hepar sulphuris obtinuit, tetri sulphurei odoris, coloris purpurei, ex qua rectificatissimo vini spiritu vera tinctura sulphuris aurei coloris extracta fuit.

§. XVIII.

Neque ita pridem prodiit de Nativo sale cathartico, in fodinis Hungariæ recens invento, dissertatio epistolica, Illustri Archiatro Garelli, qui eum benigne communicavit cum Exc. Dn. Præsede, inscripta, auctore D. Hermanno Neosolensi, qui in cuniculis Neosoli subterraneis album & amaricans sal tenerrimum, saxorum lateribus innexum, deprehendit, Epsomenfi cathartico forma & sapor per omnia simile, quum etiam majori dosi sumtum alvum frequentius exercuerit. Ejusdem naturæ & virtutis sal postea etiam Chemnitii in fodinarum maxima, auf der Wind-Schacht, it. Drensaltigkeit-Stollen, parietibus cuniculi adhærescens, & nivis instar

candidum, saporis itidem dulcis & amaricantis invenit. Et quoniam cum eodem sale beneficio salis tartari & carbonum verum sulphur minerale produxit, nihil dubii est, quin ejusdem cum sale Epsomensi & Zetlicensi sit naturæ. Hujus salis cathartici mineralis genesis, quod partim humidum in fontibus, partim etiam siccum saxi adhærens habetur, multum mihi convenire videtur cum aphronitro, quod ex acido primogenio aeris sulphureo in saxeæ, calcareæ, gypseæ, *Spath* dicta, terra, tanquam matrice sua, coit & coagulatur, & abundantius in montibus excavatis circa lenam haberi potest, ac ratione formæ, saporis, virtutis in igne & corpore humano a sale Epsomensi, Zetlicensi & Hungarico non differt, sed tantummodo in eo, quod nativum & fossile ex acido sulphureo subterraneo, & alcalinis terris adhærescente progignatur, quod abundantissime ibi reperitur; idque maxime exinde patet, quia ex sale Epsomensi, Zetlicensi & Hungarico terra quædam lapidosa, *Spath*, ex parte cum alcali præcipitetur, partim etiam facta denuo solutione & depuratione hujus salis cum aqua impetrari possit.

§. XIX.

Ex hisce omnibus, quæ jam dicta sunt, probe pensitatis liquidissime apparet, quam eximiam & fere incomparabilem virtutem salia mediæ naturæ nativa, quæ partim in sicca, partim in humida forma prostant, in medendo habeant, & quod majori dosi exhibita, præter alias egregias virtutes, vim catharticam exerant, potenterque, tuto tamen & clementer, alvinas sordes exturbent. Sed a nativis salibus jam ad ea, quæ arte conficiuntur & componun-

ponuntur, salia neutra, in officinis etiam pharmaceuticis & chymicis non ignota, progredimur, num ejusmodi dotes & vires medicinales interque eas catharticae in iis offendantur, maxime inquisituri. Primum vero nobis occurrit illud sal, quod chymica arte ex acido sulphuris mineralis, mixto cum alcalino sale, conficitur. Nam hoc ipsum ad nativi illius medii, quod fontes minerales medicati complectuntur, naturam quam proxime accedere videtur, unde etiam non dissimiles virtutes ab eo licet expectare. Quum vero specificum illud acidum, quod praecipuum sulphuris mineralis ingrediens est, etiam in aliis salibus mineralibus, ut in vitriolo & alumine, contineatur, varius & multiplex id sal parandi modus existit, utut ejusdem virtutis & efficaciae. Aliud enim ex nitro & vitriolo, adeoque ex aquae fortis residuo per debitam calcinationem conficitur, & nitri vitriolati nomine venit, quod Mynsichtus arcanum duplicatum, quia ex binis istis salibus producit, vocavit, & pro arcano olim habitum fuit in aula Gottorpenſi, dum conficiendi modum Fridericus, Princeps Holsatiae, sat magno pretio, 500. nimirum imperialibus, redemit. Hoc ipsum longe compendiosius parari potest, si nitro in alcali redacto sive fixo vitrioli spiritus guttatim ad saturationis, ut vocant, punctum instilletur. Et certe hic modus longe tutior est priori, quia vitriolum, quod aquae stygiae ingrediens est, saepe de venere participat, quae nisi probe per reiteratam calcinationem separetur, arcanum illud Gottorpiense, si liberalius & ultra scrupulum propinetur, vomitum ciet. At vero quia sal tartari fixum & probe calcinatum quam parum a nitri fixi indole ac virtute

tute distat, quare nonnulli idem remedium ex sale tartari & spiritu vitrioli, Tackenius ex vitriolo & sale alcali, conficiendum esse existimant, quod alias in officinis tartari vitriolati nomine venit. Deinde quum spiritus, ex minerali sulphure elicited, à spiritu vitrioli plane non differat, atque in antimonio purum sulphur minerale sat insigni copia insit, idem sic dictum arcanum duplicatum ex nitro & sulphure, item ex nitro & antimonio, chymici præparare sciunt. Illud sal polychrestum appellant, idque ex æquali portione nitri & sulphuris prævia combustionem & calcinationem in crucibulo conficiunt. Hoc vero, cum antimonii diaphoretici ex tribus partibus nitri & una parte nitri præparationem adornant, facta elixivatione obtinent, inque pharmacopœis nitrum antimoniatum salutare solet. Nam si comburitur nitrum cum sulphure, acidum ex nitro valde volatile exhalat, & sulphuris acidum fixius sese uniendo cum alcalino nitri sale sal neutrum constituit, paululum amaricantis saporis, deterisivæ & laxantis virtutis. Ulterius quia acidum aluminis ab acido vitrioli & sulphuris plane non diffidet, sed similis indolis atque ingenii est, hinc idem medicamentum commodè etiam elaborari potest ex alumine cum sale fixo alcalino, sali tartari vel cineribus clavellatis probe mixto & unito. Ex his rectè colligere licet, arcanum duplicatum, quod ex residuo aquæ stygiæ paratur, & nitrum vitriolatum, quod ex nitro fixo & spiritu vitrioli fit, nec minus tartarum vitriolatum, item nitrum antimoniatum & sal polychrestum, nec non sal purgans aluminis, cujus inventor fuit Keilingius, medicus Islebientis, quod *B. Hoffman-*

nus in clave Schræderiana describit, quia ratione ingredientium plane non differunt, unius ejusdemque indolis, neque minus virium & virtutum medicarum esse, & unum alteri facile in medendo substitui posse; utpote hæc omnia in minori dosi convenienti vehiculo propinata humores viscidos incidunt, dissolvunt, & tubulos excretorios stimulando & alvum servant apertam & urinæ fluxum promovent. Ubi vero in majori dosi ad unciam dimidiam vel ultra cum sufficienti aqueo vehiculo propinantur, non secus ac acidulæ operationem suam quinque vel sex sedes movendo exerunt; adeoque ubi purgatione opus est, quæ sine sanguinis ebullitione, sine spastica fibrarum intestinalium contractione, sine motuum exacerbatione & virulentia quadam fieri debet, opportunissime hæc salia ad majorem dosin utique sunt offerenda. In dosi vero parciore & refracta si unum ex illis cum nitro, sale tartari, cancrorum lapidibus miscatur, sane habemus sal aperitivum & deterisivum incomparabilis in medendo usus, quod in omnibus intermittentibus febribus, malo hypochondriaco, calculo, althmate, colica flatulenta, alvi adstrictione, ictero, cachexia, summo cum fructu usurpari potest.

§. XX.

Progressum jam facimus ad sal illud, mirabile à Glaubero dictum, & mirifice ab eo, tum ad labores chymicos, tum ad medendum commendatum. Id ipsum etiam est mediæ naturæ, & ex acido vitrioli fortiori & sale communi seu gemmæ componitur, dum nempe acidum vitrioli penetrantius alcalinum & terreum illud sal & principium, quo sal commune constat, aggreditur, seque cum illo uniendo sal neutrum cum acido salis

E

spi-

spiritu per copiosum fumum in auras avolante constituit. Hoc eminentis est saporis amaricantis, atque egregia aperiens & stomachica medicina, quæ liberaliori dosi largas movet per alvum dejectiones. Mirabile hoc dictum est à Glaubero, quia si ejus æqualis portio cum limatura metalli & dimidia cum pulvere carbonum misceantur, igneque fusorio invicem tractentur, sulphur ex quovis metallo hac ratione extrahi posse judicavit, dum spiritus vini dephlegmatus superfluous tincturam sulphuream elicit. Verum enim vero in eo Glauberum errasse, vel exinde satis apparet, quia sine metallo addito ex solo hoc sale & pulvere carbonum, si modo tantillum salis alcalini adjiciatur, sulphuream massam instar hepatis parari, ex quo verum sulphur minerale educi possit, variis exemplis *Exc. Stahlus* docuit. Nam hac ratione tantum sulphuris vivi regeneratio fit, quod ex acido peculiari in sulphure contento & phlogisto combustibili principio de novo componitur, quemadmodum ex oleo vitrioli & terebinthinæ Boyle, atque ex opio & oleo vitrioli *Excell. Dr. Præses* perfectum sulphur vulgare destillatione facta eduxit, & id jam ante viginti annos in demonstrationibus suis physicis proposuit. Quum vero hoc sal dictum Glauberianum eadem cum supra expositis salibus mediis, arcano duplicato & ceteris ingredientia habeat, nempe acidum sulphuris & vitrioli ac sal alcali fixum, quale etiam in sale communi residet, testante id experimento, quo ex spiritu salis & sale tartari perfectum sal commune fit, recte & non sine ratione inde concludere licet, ex omnibus his dictis salibus cum sale tartari & pulvere carbonum, fusionis causa addito, tractatis sulphur artificiale produci posse. Et quo-

quoniam, ut supra docuimus, cum sale Epsomensi, sale Egrano genuino, sale Zetlicensi, nativo Hungariæ, thermalis Carolino, idem fieri conspiciamus, quisque inde recte conficere poterit, hæc omnia salia & nativa & artificialia, quum unius naturæ, eorundemque ingredientium & effectus sint, ratione virium in medendo plurimum inter se convenire & conspirare.

§. XXI.

Devolvitur jam nostra meditatione ad sal illud purgans mediæ etiam naturæ, quod vili admodum pretio pro sale Epsomensi jam venditur, & ad plures centenarios ex Anglia ad nos advehitur. Id certe non genuinum esse, ex aquis Epsomensibus extractum, facile ex exigua quantitate salis in his aquis contenta & vili pretio, quo vulgare constat, conjici potest. Nihilominus tamen ejus virtutes & aperitivas & purgantes non rejicere, sed potius plurimum commendare & extollere debemus, multiplici experientia edocti. Est vero hoc sal artis productum & sali Glauberiano admodum simile, quum etiam illud ipsum pro sale Epsomensi venditur; sed quia hujus pretium valde carum est, præ nostro, dubitandum utique minime est, quin ad exemplar salis Glauberiani hoc ipsum ex villioribus & facilioribus ingredientibus præparetur. Quod etiam revera sic se habet, siquidem ex capite mortuo vitrioli, sive vitriolo bene calcinato & lixivio, in salis coctura residuo, quod vocatur *Salt-Mutter-Lauge*, & præter sal commune sal alcali terreum secum habet, non nulli ex chymicæ artis peritis in Anglia parare solent; quemadmodum etiam *Cl. Lentilius in Miscell. Nat. Cur. Cent. 3. & 4. obs. 173.* id probe & recte notavit. Fecimus cum hoc ipso ex-

E 2

peri-

perimentum, tractando id per ignem calcinatorium admixto pulvere carbonario, sed renuit fusionem; igne vero acriori administrato, totum fere avolvit, cum ingenti tetro vapore & foetore sulphuris vulgaris, quo totum conclave repletum fuit. Adjecto vero sale tartari, hepar sulphuris impetravimus. Quo utique certo convincimur, ex sulphuris acido, quod vitriolo inest, cum terra salis marini vel alcalini nupto, ortum & natales hujus salis esse deducendos.

§. XXII.

Missis itaque his salibus, quorum ortus ex acido sulphuris & sale alcalino est, ad alia, quæ usum in praxi habent, remedia eorumque naturam considerandam nos convertimus. Sunt vero hæc primo sal ammoniacum, cujus genesis ex sale volatili urinæ vel fuliginis & sale marino est, quod ab addito urinoso volatili principio longe majorem & acrimoniam & penetrantiam acquirit, & ob id etiam attenuandis & dissolvendis cruditatibus primæ regionis viscidis, tenacibus medicina est aptissima. Et hoc solo sale *Cl. Muys*, Medicus Batavus, in peculiari Tractatu omnium febrium intermittentium certam ac plenariam promittit sanationem, si apposite, decenti dosi & tempore usurpetur. Sed ego crediderim, hoc remedii genus magis robustioris naturæ hominibus & Bataviæ incolis, quam tenerioribus & delicatioribus proficere. Ejusdem commatis ac virtutis est sal sic dictum Sylvii digestivum, quo frequenter hic medicus ad consumendas cruditates viscidas, ad appetitum & digestionem prostratam restaurandam, atque ad abigendas intermittentes usus est, idque ex spiritus salis ammoniaci cum sale tartari parati residuo per elixivationem cum aqua con-

579

conficitur. De hisce salibus id certum est, quod majori dosi etiam alvum vehementer solvendi facultate polleant. Autor tamen suasorque sum, ut à liberiori salium horum dosi in curandis morbis abstineamus, quandoquidem, nisi ejus acria spicula viscosis & tenacibus particulis in corpore quatantenus involvantur, & nisi humido sufficienti diluta fuerint, facile contextum intestinorum villosum & glandulosum destruere possunt. Prostant porro in usu ex tartaro, item ex aceto & salibus vel alcalinis corporibus salia mediæ naturæ, ut sunt tartarus tartarificatus, sal essentielle, sive terra foliata tartari, solutio oculorum cancri, sal coralliorum, matris perlarum, quæ eximiæ virtutis salia olim magno in pretio habita fuerunt, præsertim à Tackenio, qui terram foliatam tartari cum solutione oculorum cancri mixtam pro sale viperarum fixo venditavit, ingentem pecuniæ summam inde lucratus. Habent hæc salia id potissimum peculiare, ut ad sanguinis massam propter subtilitatem salinarum partium magis penetrent, quam alia salia, item quod per urinarias vias noxios humores eximie è corpore exturbent.

§. XXIII.

Hactenus fusius deduximus, salia media fere pleaque, præsertim quæ amaricantis saporis sunt, valde eximiam validamque alvum movendi obtinere facultatem, idque stimulo suo, quo tunicas intestinales nerveo musculosas laceffendo motum peristalticum auctiorem reddunt, perficere affirmamus. Huic asserto posset quispiam opponere, quod etiam medicamenta, omnis saporis salini ejusque amaricantis expertia, penitus in-

E 3

sipi-

spida, non secus ac salia illa, vehementer subinde intestinali proritare soleant purgationem, quemadmodum id in magnesia, pulvere levissimo, insipido, candidi coloris, omnis stimuli experte conspiciamus. Verum enim vero exponendum hoc loco utique est, quomodo magnesia vim suam exerat purgantem. Certe id non ob terreum suum alcalinæ indolis, quo constat, principium efficit, sed quoniam hoc medicamentum cum quovis acido vehementer effervesceat, eoque solvitur, atque in solutione saporem valde salum, amaricantem acquirit, qualis non ab ullo alio alcali terreo, siue lapidibus cancerorum, siue conchis, vel ovorum testis exsurgit; certe hinc concludere licet, magnesiā tunc demum purgare, quando ab acido in ventriculo stabulante dissolutum in sal tertium amaricans convertitur, quod etiam experientia confirmat, qua constat, hypochondriacos optime hoc remedio purgari, minime vero eos, quorum ventriculus crassa & viscida pituita repletus est.

§. XXIV.

His igitur deductis jam liquidissime demonstratum esse arbitror, id quod instituti nostri fuit, videlicet, salia mediæ naturæ eccellente in medendo gaudere virtute aperitiva, detergente, omnis generis excretoria stimulante, & sub majori dosi etiam cathartica, satisque in aprico est, hujus naturæ salia omnium esse saluberrima, & naturæ amicissima, quibus nec medicus carere, nec facile damnum inferre possit. Veruntamen plura hic in contrarium moveri posse video, quoniam & frequens usus & attempta observatio docet, etiā medicamēta, acido excessivo præ-

580.
prædita, imo volatilia urinosa, & alcalina fixa inter optima & classica remedia sibi adhuc locum tueri ac vindicare, tantum abest, ut naturæ corporis humani inimica, vel insalubria dici mereantur. Quibus omnibus id reponendum esse existimo, neque acida, neque alcalina, five fixa five volatilia, unquam proficere, aut salutarem effectum in medendo præbere, nisi ea cautione a medico perito administrentur, ut a dispositione humorum interna & præcipue eorum, qui primis in viis consistunt, in sal medium tertiæ naturæ mutantur, atque hac ratione naturæ corporis, id est fluidis & solidis partibus, blanda & amica reddantur. Nam quando copia bilis, præsertim alcalinæ oleosæ, in flexura duodeni collecta & stagnans fortiter genus nervosum afficit, & hac ratione sæpe vomitus biliosi, nausæ, appetitus prostrati, caloris lenti, cephalalgia, febris etiam ardentis, aut inexhaustæ sitis causa est, tunc certe acidula, ut sunt julapia, refrigerantia vel alii spiritus minerales acidi dulcificati egregiam utique præstabunt opem. Ubi porro intensus febrilis æstus, a fortiori motu intestino partium sanguinis sulphurearum ortus, ipsam sanguinis temperati texturam nimium destruendo corpus & ipsas vires penitus exhaurit, ibi acida plus proficient, quam salia media, alcalina, vel alia remedia, quia particulas sulphureas, a quarum motu fit calor, figendi & enervandi facultate gaudent. In morbis malignis, qui ex interna humorum putredine nascuntur, ab acidis revera plus auxilii, quam ab ullo alio remedio expectare possumus, & quidem ob hanc causam, quia per putredinem gignitur alcali, & a copioso etiam alcali provenit, quod quum protinus ab acido cicuretur, putredo sistitur. In scorbutico & arthritico

tico inveterato malo copiose salia in massa sanguinis generantur, quæ certe magis ad alcalinam lixiviosam, quam mediam naturam pertinent. Hinc etiam eorum sanguis e vena ductus tenuis & floridus subinde apparet, & urina plerumque valde rubicunda & salso lixiviosa emingitur. Plus sæpe tunc præstare acida temperata, quam alcalina urinosa & volatilia aut calida spirituosa, minus peritos experientia certissime docebit.

§. XXV.

Quod attinet ad medicamenta, quæ sale alcalino fixo sive volatili fœta sunt, iis certe non indistincte & promiscue uti oportet, utut prudenter usurpata egregiam utilitatem afferant. Nam quandocunque nimia acidorum succorum copia primam regionem infestat, & gravia symptomata, ut videmus in hypochondriacis, hystericis, melancholicis, concitant, ut sunt ventriculi & intestinorum rosiones, anxietates, ventriculi inflationes cardialgicæ, tusses stomachales, cephalalgicæ, nimia alvi adstrictio vel dejectio cum tenesmo, ventriculi ardor; tunc certe alcalina terrea, præsertim cancrorum lapides, conchæ præparatæ, vel solum oleum tartari per deliquium, plus præstabunt, quam ulla alia, quia acidum absorbendo in sal neutrum convertuntur, quod deinde facile & sine offensa per tubulos excretorios transit atque educitur. Si vero acidi potius defectus, quam exuperantia in primis viis est, eæque copiosa tenacium viscidorum humorum colluvie refertæ sunt, profecto copiosius ingesta alcalina terrea multum afferunt detrimenti. Nam quia non solvuntur, sed potius cum particulis terreis limosis se jungendo pituitâ augent, hinc appetitum prosterunt, ventriculum gravant, orificia vasorum lacteorum obstruunt, neque minus alvum segniorem red-

dunt.

F I N I S.